

paulo post in universa Ecclesia prevaluit, ut prior illa nullum haberet defensorem, sed omnes impugnatores, in quibus recensetur Theologiae lumen Doctor irrefragabilis Alexander Alensis par. 3. quest. 345. Thomas 2. 2. quest. 64. art. 7. aliique sancti Doctores, Bonaventura, Raimundus, Antoninus, & ante Doctores istos Pontifex sapientissimus Alexander tertius, qui anno 1160. Romanam regebat Ecclesiam, perspicue decrevit, c. si vero, de sent. excomm. *Si vero clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel laedat, non debet propter hoc ad sedem Apostolicam transmitti, si in continentem vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant.* Favet c. jus naturale, dist. 1. & c. significasti, cujus est auctor Innocentius III. de homic. Concilium deinde generale Viennense definit, eum qui vim vi repellendo, aggressorem, cum aliter se tueri non possit, occidit, nullam incurere irregularitatem, Clement. si furiosus, de homicid. His denique suffragatur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. de reform. Non ausim ego inter tot directe contraria invicem jura, adeoque sanctimoniarum summaque commendationis laude florentes Pontifices & Ecclesiae Doctores aperte dissidentes sedere arbitri: satis mihi videor meo sanctus officio absque ullo ex me praesudicio utriusque partis jura & auctoritates praecipuas recensuisse.

4. Can. XII. *Sacrosanctum Baptismi mysterium sciatur omnes in Christo regenerati, non nisi praefixis & legitimis in anno celebrari temporibus: cum hoc sibi privilegium, ut in epistola Siricii Papa legitur capite secundo, & apud nos, & apud omnes Ecclesias specialiter cum Pentecoste sua Dominica Pascha defendit: in quo, ut legitur in Epistola Leonis Papa capite nono, orta est & virtus muneris & species actionis.*

Apud Constantinopolim & vicinas Ecclesias his duobus festis addebatur aliquando festum, quod vocabant luminum, quia scilicet primitiae gentium Christo Infanti dedicatae in Magorum persona fuerunt, & eodem anniversario die Christus de manu Joannis Baptiste in Jordane Baptismum suscepit. Idque testimonio astruit Gregorius Nazianzenus orat. 40. in Sanctum Baptismum in persona differentium ad Baptismum accedere sic preterit: *πῶς τὰ ἁγία, τὰ Πάσχα καὶ τὴν ἑορτὴν τῆς Πεντηκοστῆς ἐκδέχου, ἡμεῖς τὴν Πεντηκοστὴν ἐκδέχου.* Sed non multo post Striccius Pontifex diem Luminum seu Epiphaniarum suppressit, alioque certos dies in Hispaniis usitatos, foliisque baptizari permittit citra necessitatem Paschae & Pentecostes diebus ep. 1. ad Himerium Tarracensem, cap. 2. quin etiam Leo Magnus epist. 4. seu juxta Quinellianam editionem 16. ad Episcopos Siciliae consuetudinem, qua in Sicilia inoleverat solemniter in Epiphania baptizandi, expressa prohibitione revocat c. 1. & in sequentibus id licitum astruit solis Paschae & Pentecostes diebus. Sed cap. 5. quodcumque premit necessitas, batizandum esse monet. Et qui his successit Gelasius, sic scribit ad Episcopos Lucaniae epist. 9. cap. 10. *Baptizandi sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam praeter Paschale festum, & Pentecostes, venerabile Sacramentum; excepto duntaxat gravissimi languoris incurso, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis agrotans exitio preventus abscedat.* Habetur, de consecr. dist. 4. c. Baptizandi: idem pariter stabilitum plerisque Conciliis, ut Gerundensi sub Hormisda can. 4. Antiochodorensi can. 18. Matifconensi secundo canon. 3. & hoc denique Triburiensi. Sequentibus demum saeculis, ad praeveniendum omnia improvisa pericula, quinetiam propter infirmitatem ipsorum, qui in vitæ discrimine constituti, metu & horrore confertantur ad hujusmodi nuncium, quo fiebat, ut astantium incuria, vel formidine, nonnulli ex hac vita sine ullo Sacramento migrarent. His omnibus obviam ire pia mater Ecclesia intendens, perspicuensque Sacramenta propter homines instituta a Sponso suo Christo esse, & non viceversa: libentem laxavit potestatem, adeo necessarium ad salutem aeternam Sacramentum quovis tempore administrandi.

5. Can. XIII. *De decimis Augustinus Doctor mirabilis sub brevi ratiuncula rem satis dilucidasse videtur, cum ait: Decima ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe, meus es homo, mea est terra quam colis, mea semina qua spargis, mea animalia qua fatigas, meus est Solis ardor, & cum omnia mea sint, tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris, sed servo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo querit aliquis, cur decima datur, sciat quod ideo danda sunt, ut hac devotione Deus*

*placatus largius praestet qua necessaria sunt: & ut ministri Ecclesiae exinde relevati liberiores sint ad spirituales servitutes expletionem: & ut munus populi exhibere in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta canonum in sustentationem pauperum, & re-stauracionem Ecclesiarum proficiant; Quatuor enim feri partes juxta canones judicamus de decimis & oblationibus fidelium: ut una sit Episcopis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restauracioni Ecclesiarum servetur: sicut in epistola Gelasii Papa capite vigesimo septimo legitur.*

Prolatus Augustini locus desumptus est ab uno ex ejus de tempore sermonibus ad Dominicam duodecimam, qui inscribitur, de reddendis decimis. In quo illud peculiari observatione dignum habetur, decimas non solum fructuum terrae, sed praeterea proprii laboris & artificii esse persolvendas. Haec enim adjungit: *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quos habet agricola, quodcumque te pascit ingenium, Dei est; & inde decimas expetit unde vivis: de militia, de negotio, de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra dependitur, aliud pro usura vine pensatur.* Et Ambrosius in serm. Quadragesimae, cujus initium est: *Ecce nunc tempus: Quicumque recognoverit (inquit) in se, quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet quod minus fecit: Quid est fideliter decimas dare? Nisi ut nec pejus, nec minus Deo offerat aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsa venatione sua.* Denique Clemens Papa III. in c. ex transmissa, de decimis generaliter ait: *Fidelis homo de omnibus, quae licite potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Veruntamen in solutione decimarum standum est locorum consuetudini, juxta c. cum sint homines, eod. tit.

6. Quæsitum est praeterea, quidnam juris sit in terris, quarum decimis potiebatur Ecclesia vetustior, si contingat novam edificari Ecclesiam, utrum huic nova, an potius antiquiori Ecclesiae decimae illius territorii solvenda sint? Definit Concilium Moguntinum sub Leone Papa III. & Carolo Magno celebratum, jus illud penes vetustiore Ecclesiam permanere, can. 41. *Ecclesiae antiquitas constituta nec decimis nec aliis possessionibus privetur, ita ut novis oratoribus tribuantur.* His consuetudine constituit Carolus Magnus tum alibi, tum lib. 2. Capitularium cap. 36. Nisi de novo constructa eo loco sit baptismalis Ecclesia; huic enim decimae debentur, c. de decimis, & c. statumimus, 16. q. 1. in Decretalibus, c. fin. de Parochiis, & c. dum contingit, de decimis, ubi statuitur haec regula: *Perceptionem decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertinere, etiam novalium agrorum.* Octavo vero & nono Saeculis invaluerat potentiorum audacia, qui edificando novas Ecclesias, se illarum dominos constituebant; sibi quoque decimas eo prae-textu quasi jure debitas invadebant: quorum avaritiam & Regia Caroli Magni, Ludovicique Pii Capitularia, & Synodorum ejus temporis Canones coercere satagebant.

7. Can. XVI. *Abhorrendus & Christianis omnibus vitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere, cum hoc nusquam sub Evangelica gratia meminimus nos invenisse vel legisse. In Ecclesiastico namque libro scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quia omnes morimur. Et item: Omnia quae de terra sunt, in terram convertuntur. Quid terra terram vendis? Memento quoniam terra es, & in terram ibis; & quoniam mors tibi futura est, appropriat, & non tardat. Recordare quoniam non hominis est terra, sed, ut Psalmista commemorat, Domini est terra & plenitudo ejus, & qui habitant in ea. Si terram vendis, invasione aliena rei reus teneris. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdicitur sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi forte proximi & amici defuncti propter nomen Domini & redemptionem animae hominis gratis aliquid donare velint.*

Vide superius hoc pertinentem Concilii Meldensis can. 72. Nec omittenda regula est tradita in fine Canonis Triburiensis 15. *Ubi decimam persolvebat vivus, sed sepeliatur mortuus.*

8. Can. XVIII. *Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, Calices sunt & Patena: de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in ligneis vasculis Sacramenta conficere? Respondit, quondam Sacerdotes aurei vasculis ligneis utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus Papa vitreis Calicibus Missas celebrari constituit.*

Dein-

Deinde Urbanus primus omnia sacri Ministerii vasa fecit argentea, ligneorumque vasorum usum ab altaribus eliminavit, can. vasa in quibus sacrosancta, de consecr. dist. 1.

Hieronym. epist. ad Rusticum sic testificatur de sibi contemporaneo Exuperio Tolosatium Episcopo: *Nihil illo diutius qui Christi Corpus in canistro vimineo, & Sanguinem portat in vitro.* Ecclesiae quippe sacra vasa pretiosa in redemptionem captivorum distaxerat. Quod idem praestiterat Augustinus in Africa tempore irruptionis Vandalorum, ut refert in ejus vita scriptor Possidius cap. 24. & in Italia Paulinus Nolanus Episcopus. Ipse quoque de se testatur Ambrosius lib. 2. c. 28. *Nos aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus; quod Arianis displicere poterat: nec tam factum displicere, quam ut esset quod in nobis reprehenderent.* Cyprianus in vita Casarii Arelatenensis ait: *An non in vitro habetur Sanguis Christi? Pretiosa tamen vasa jam inde a primis Saeculis sacris mysteriis adhibebantur.* Damasus in vita sancti Urbani Papae & Martyris refert, ipsum statuisse, ut essent omnia sacra ministerii vasa argentea. Prudentius in Synodo de Laurentio Martyre, a quo vasa sacra repetebantur, sic interpellantem introducit gentilem Magistratum:

*Hunc esse vestris orgiis  
Moremque & artem proditum est,  
Hanc disciplinam fœderis  
Libent ut auro Anxistites.  
Argentei cyphis ferunt  
Funare sacrum Sanguinem,  
Auroque nocturnis facris  
Adflare fixos cereos.*

Augustin. epist. 165. ex Proconsularibus actis refert, Christianos sub Diocletiani persecutione habuisse Calices aureos duos, & argenteos sex. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum, cap. 38. scribit, Diocletianæ infestationis tempore, vasa sacra argentea in cryptis, in quibus Christiani delitescerent sacra peragebant, effusa esse innumera. Omitto sacrorum ex auro vel argento vasorum exempla sub Imperatoribus Christianis.

Can. XXII. *Si quis ex fidelibus libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur jure juramento se excusare. Si vera tanto talique crimine publicatur, ut criminosis a populo suspiciatur, & propterea suspicetur, aut constitatur & pœniteat, aut Episcopo vel suo iusto discipulo per ignem candenti ferro caute examinetur.*

Tam probationum quam purgationum alia censentur Canonice, qua sacris Canonibus saltem posterioribus approbantur: alia vulgares, quae vulgari quidem in usu erant, non tamen ullo canone recepto fœdite aut probate: cujusmodi erant deficientibus aliis probationibus duellum, ferri candentis contractio, aqua fervens, aqua frigida, & id genus alia, quae aliquando a Canonibus auctoritate habuerunt, sed aliis posterioribus Canonibus prohibita sunt: Hinc tituli decretalium de purgatione Canonica: & de purgatione vulgari: quibus subiecta capita interdicunt & abrogant hujusmodi purgationes, quas etiam per iudicium Ecclesiasticorum sententias rei subire compellebantur, secus condemnandi. Innocentius III. Episcopum deponit, tum ob ejus alia delicta, tum ob ejus judicium per ferrum candens probationem indicens, c. ex litteris, de excess. Praelat. & in Decreto Stephanus V. prohibet candentis ferri & ferventis aquae probationem, & purgationem: Nicolaus vero monomachiam probationem, & c. consulisti, & c. monomachiam, 2. q. 4. insuper S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. illicita esse docet illa examina, quibus tentatur Deus ad miraculum operandum.

10. In lege quidem veteri probabatur uxorum pudicitia per aquam zelotypiae, in quam Sacerdos maledicta congererat. Sed nihil de peccato periclitabatur, ubi de divina constanti institutione, num. 5. Nihilominus istiusmodi purgationum genera non tantum Longobardorum legibus leguntur introducta, sed etiam in Capitularibus Caroli Magni praescripta congesta ex Synodalibus Antistitum illius temporis constitutionibus, lib. 4. Capitul. Hujusmodi examina perhibentur usi diversi Germanorum Imperatores, ut Lotharius circa sibi suspectam adulterii Theutbergam conjugem, teste Regione Chron. lib. 2. qui voluit duos milites monomachia decernere. Sancta & virgo Imperatrix Cunegundis se apud sanctum conjugem pariter virginem Henricum suspicione male concepta nudis plantis super ardentem laminam incedendo liberavit, quasi aurum per ignem examinata, ut ejusdem temporis Scriptori vite ejus apud Synodum 3. Mart. prodit. Otho III. Mariam uxorem Aragonum Rege natam

flammarum supplicio addidit adulterii accusatam, postquam hujus accusatrix vidua illibati sanctissimique cujusdam Comitis Palatini, qui stuprum Imperatricis, a qua afflictim fuerat sollicitatus, metu offensae Dei constanter recularat, ideoque falsis ab illa apud Othonem adulterii attentati, sed ab Augusta qua decuerat indignatione rejecti, accusationibus delatus, a nimis credulo Imperatore fuerat neci additus. At vidua a viro sub vitæ finem praemonica iudicii praeproperae retractationem postulans examinari causam, per laminam ardentem contractationem petiit, cujus in se experimentum semel & iterum illa fecit; imperatrix vero pari quod refugiebat, experimento convicta, tandemque scelus suum confessa, flammis crimen expiavit in Mutinensi urbe, ut referunt Gotfridus Viterbiensis, & Albertus Crantzius.

11. Vulgares haec probationes Ivo Carnotensis passim reprobat & dissuadet epist. 74. & 205. & 252. Approbatur nihilominus his conditionibus, si alia non suppetunt idoneae probationes, nec desunt probabiles gravis delicti praesumptiones, atque praedit postjuridicam accusationem sententia iudicis rem ita examinari decernens; sic enim consultus respondet epist. 252. ad Radulfum Rhemensem Archiepiscopum: *Non negamus tamen, quin ad divina aliquando recurrendum sit testimonia, quando precedente ordinaria accusatione omnino desunt humana testimonia, non quod lex hoc instituerit Divina, sed quod exigit incredulitas humana.* Qui plura hinc de rebus circa monomachiam seu duelli, vel aquae frigidae vincitorum corpora vel sustentatis ad innocentiae argumentum, vel demergentis ad sceleris convictionem, vel aquae ferventis, in quam pedes & manus immergebantur, vel ferri candentis, aliasque id genus praefixis usitatas probationes, examina ac explorationes, atque etiam ex vetustissimis manuscriptis exorcismos aquae frigidae, vel calentis, aliasque solemnes preces & ritus, quibus Sacerdotes his examiniis praebant, scire desiderat, annotationes consulat eruditas Francisci Jureti ad Ivonis Carnotensis epist. 74.

Can. XXVIII. *In Nicano sancto & universali Concilio continetur: propter multam perturbationem & seditiones, quae sunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur, &c. In Chalcedonensi capite vigesimo, clericos in Ecclesia ministrantes in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet. Si quis Episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad aliam pertinentem, suscipiens & suscipiens communione priventur; Donec is qui migraverat, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi capite octavo, ut nulli liceat Episcopo aliorum Episcopos ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parochiis ordinare. In Africani capite vigesimo primo, ut clericum alienum nullus sibi privet Episcopus praeter ejus arbitrium, cuius fuerit clericus, &c. Item in decretis Pape Leonis, alienum clericum in viro Episcopo ipsius suscipiat, nemo sollicitet nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque convenerit. Quibus constitutis, Sanctorum Canonum operam dantes, & vestigiis Patrum inherentes hoc secundum praefixos Sanctos Canones statumimus, & justum esse decernimus.*

Revisé quæ ad Nicenum sub Sylvestro can. 15. Item Rhemenis Concilii anni 813. can. 20. Et Francofordiensis anni 794. can. 7. Et Turonensis anni 813. can. 14. & Meldensis anni 813. can. 30. de hac materia disserui.

Can. XXX. *In memoriam Beati Petri Apostoli honoramus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut quae nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix servandum ab illa sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus. Si vero quilibet, quod non decet, sive Presbyter, sive Diaconus aliquam perturbationem machinando & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse Epistolam, vel aliud quid quod inde non convenerit: salva fide & integra circa Apostolicam humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usque quo per epistolam, aut per idoneos sua partis Legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat definire, ut & is corrigatur, & ceteris modis insonatur.*

12. Can. XL. *Declarat irritum matrimonium inter eos, qui ante conjugis mortem simul mœcati fuerant cum futuramento nuptiarum pollicitatione, si conjug, cui hac inferebatur injuria, praecederet. Est unum ex impedimentis matrimonium etiam contractum dirimentibus, refertur in c. relatum, 31. q. 1.*